



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Definitio prudentiæ explicatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)



DISPUTATIO PRIMA

De Prudentia & partibus ejus.



VAMVIS prudentia in intellectu sit, & per consequens simpliciter virtus intellectualis; quia tamen non sinit in solo intellectu, sed extenditur ad rectificandum appetitum, merito à purè intellectualibus seceritur, & inter morales collocatur, veluti illarum regula, dux, & magistra: unde Philosophus 6. Ethic. prudentiam *anima ex virtute operantis veluti oculum esse dicit*, Chrysostomus in Psalm. 13. *Lucebam anima, Reginam cogitationum, magistram eorum qua bona sunt & honesta*; & Maximus Tyrius disert. 40. prudentiam ait non aliter quam matrem familias ex rationis præscripto omnia dirigere in familia proborum. Quod videtur sumpsisse à Philosopho, qui r. magnorum moralium in ipso sine prudentiam commendat, tanquam architectum quendam virtutum, & sapientiae velut atriensem, toti virtutum familiae præfectum, dispensantemque in ea, & præscribentem munera singularum, ut sapientiae tanquam dominæ, cohibito affectuum tumultu, & omnibus domi rectè compositis, otium ad functiones suas, & liberum, enubilatis ijs quæ officere poterant, altissimarum rerum prospectum parat. Porro ut hujus illustri virtutis naturam clarè percipiamus, definitio ejus breviter explicanda est; Deinde quæ sint partes integrales, subjektivæ, & potentiales illius, exponemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Definitio prudentiæ explicatur.

1. **D**efinitur prudentia à Philosopho 6. Ethic. cap. 5. *Recta ratio agibilia*. Circa quam definitionem primò observandum est, quòd duplex potest esse ratio agibilia, una generalis & communis, per quam regulæ benè operandi traduntur; alia particularis, quæ in singulis actionibus præscribitur quid hîc & nunc liceat, vel expediat, aut debeat fieri secundum rectam rationem. Prima non pertinet ad prudentiam, sed ad Theologiam, vel Philosophiam moralem: secunda verò spectat ad prudentiam, quæ non circa universalialia, sed duntaxat circa singularia versatur.
2. **S**ecundò advertendum est, quòd ratio agibilia adhuc potest esse duplex: alia quæ se tenet ex parte potentiae per modum habitus operativi, & hæc est prudentia: alia quæ se habet per modum objecti inspecti & considerati, & ista est lex, quæ non est virtus, neque habitus operativus, sed comparatur ad prudentiam, ut idea artificis ad artem: nam sicut ars inspiciendo ideam, perficit artefactum, sic prudentia attendendo ad le-

gem, dirigit actus humanos & liberos, qui sunt ipsa agibilia.

Tertiò notandum est, quòd nomine agibilia intelligenda sunt primò & præcipuè moralia, id est quæ ad bonos mores pertinent (à quibus boni simpliciter denominantur) & ad finem moraliter bonum, id est honestum conducunt; secundariò verò & minùs principaliter quædam alia, quæ pertinent ad bonum & commodum vitæ humanæ, & ad benè vivendi quomodocumque rationem. Prudentia enim monastica v. g. non solum valet ad dirigendos mores uniuscujusque in ordine ad honestatem, sed etiam ad quærenda aliqua licita vitæ commoda, vel ad vitanda incommoda & pericula; ad captandam aliorum benevolentiam, & vitandam offensionem; ad discernenda aliorum ingenia, & vivendum cum illis pacificè, & similia. Unde Paulus Actor. 23. prudenter egit, quando ut imperium Judæorum declinare, in mortem ipsius conspirantium, iniecit quæstionem de resurrectione mortuorum, ut Phariseos & Sadduceos inter se committendo, utrorumque vim contra se frangeret. Prudenter, inquam, egit, sive hoc fecerit ex altiori & honesto fine, ut Evangelium diutius prædicaret, sive tantum ut vitæ suæ consulere. Christus etiam prudentissimè respondit Pharisæis & Herodianis, *Reddere qua sunt Cesaris Cesari, & que sunt Dei Deo*, ut invidiam quam ipsi conflare volebant, declinaret; fuisseque responsum illud prudens, quamvis Christus nihil aliud intendisset, quam Judæorum calliditatem eludere.

Idem patet in prudentia œconomica, politica, & militari: prudentia enim œconomica non eò solum pertinet, ut familia honestè vivat, curando ut omnes domestici mores suos conforment ad præscriptum rectæ rationis, verum etiam ut familia benè & commodè sit in ijs quæ ad victum & vestitum, aliasque vitæ humanæ necessitates spectant, juxta illud Christi Lucæ 12. *Fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illi in tempore triici mensuram*. Prudentia etiam politica non solum curat ut cives honestè vivant servando leges, verum etiam ut abundant copiâ rerum necessariarum, & ut concorditer vivant & pacificè. Item prudentia militaris non curat solum ut milites honestè vivant, & virtutem fortitudinis, aliasque suo statui convenientes exerceant, sed etiam ut adhibeantur quæcumque alia ad bellum benè gerendum, & victoriam consequendam necessaria: cujusmodi sunt, providere sapienter de comitatu, captare opportunum locum, tempus, & occasionem pugnandi, & alia hujusmodi.